

**www.e-rara.ch**

**[Opera omnia]**

**Augustinus, Aurelius**

**[Basel], [1528-1529]**

**Zentralbibliothek Zürich**

Shelf Mark: AW 57

Persistent Link: <http://dx.doi.org/10.3931/e-rara-5484>

Liber vicesimuseptimus.

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

duinque iudicauit, assumendo formam uiri, & nascendo de foemina: siue aliqua alia causa, quamquam illa sit, non temere dixerim. Illud tamen fidenter dicam, nec aliter factum esse, quam euangelica ueritas docuit: nec aliter fieri oportuisse, quam dei sapientia iudicauit. Euangelij fidem omnibus haereticorum disputationibus antepo-<sup>C</sup> nimus, consilium autem sapientiae dei, supra omne consilium creaturae cuiuscunq; laudamus.

Cap. VIII

Tamen Faustus, ut sibi credamus, hortatur dicens, Etsi mihi uera dicenti uis credere, uterq; eorum apud Hebraeos falsam traxit opinionem: Iesus de morte, & de immortalitate Helias: cum paulopost dicat, Ut enim ab initio sumpta hominis similitudine, omnes humanae conditionis simulauit affectus, sic ab re non erat, si in fine consignandae & economiae gratia fuisset uisus & mori. Homo pessime ac fallacissime, quomodo tibi ego credam, quasi uera dicenti, cum Christum dicas mortem potuisse mentiri? Ergo ille mentiebatur, quando dicebat, Oportet filium hominis occidi, & tertia die resurgere: & tu non mentiris, & dicis, ut tibi uera dicenti credamus? Veracior ergo Petrus, quando ei dixit, Absit domine, non fiet istud: & unde meruit audire, Redi retro Satanas. Et ille quidem non hoc infructuose audiuit, qui eam postea ueritate mortis Christi, usq; ad suam mortem correctus perfectusq; praedicauit. Verum si ille, quia tantum putauit Christum non moriturum, audire meruit, Satanas: tu quid mereris audire, qui non solum negas mortuum, sed etiam dicis mortem fuisse mentitum? Sed ideo, inquit, mortem quoq; simulasse credendus est, quia omnes humanae conditionis simulauit affectus. Quis enim tibi hoc contra euangelium concessurus est, quod omnes humanae conditionis simulauit affectus? Prorsus dixit euangelista, Dormiuit Iesus, dixit, esuriuit, contristatus est, exhilaratus est, & si qua talia omnia uera sunt, quae ita narrata sunt, ut non eum simulasse, sed plane fecisse uel exhibuisse conscripta sint: sane non necessitate conditionis, sed magisterij uoluntate, & diuina etiam potestate. Nam homo plerumq; & si nolit, irascitur: & si nolit, contristatur: & si nolit, dormit: & si nolit, esurit ac sitit: ille autem omnia ista fecit, quia uoluit. Sic etiam nascuntur homines atq; patiuntur, non quia uolunt, nec quod uolunt: ille autem etiam ista quia uoluit. Tamen uera haec & de illo fideliter ueraciterq; conscripta sunt, ut quisquis euangelio eius crediderit, ueritate instruatur, non mendacis illudatur.

Libri Vicesimiseptimi finis.

LIBER VICESIMVSSEPTIMVS.

Caput I



FAVSTVS dixit, Si natus non est Iesus, nec passus est: si autem passus est, ergo & natus est. Non nobis expedit, mihi credite, in his rebus consequentiam quaerere naturae, alioquin infirmabit omnis uestra fides. Nam & uos Iesum ex uirgine natum, sine uirili coitu creditis: & si ex consequentibus priora probanda sunt, erit hoc falsum. Poterit enim & uobis responderi in hunc modum: quia si natus est ex foemina Iesus, ergo & seminatus ex uiro est.

Si uero seminatus ex uiro non est, ergo nec natus ex foemina est. Potuit autem, ut uos creditis, nasci non satus: quare ergo non potuerit & pati non partus?

Caput II

Augustinus respondit, Nemo tibi proponit quod tibi proponis, nisi imperitus quem decipis, non instructus a quo conuinceris. Nam Iesus & nasci potuit non satus, & pati non partus, sed unum horum uoluit, alterum noluit. Nasci enim non satus uoluit, pati autem non partus noluit: quia partus est passus. Dicis mihi, Unde scis? Quia hoc in euangelio ueritatis lego. Si autem tibi dicam, unde scis ista quae dicis, Manichaei mihi opponis auctoritatem, & dicis esse in euangelio falsitatem. Ego autem Manichaeo ista dicenti non credere, nec si non mihi Christum mentitum esse laudaret. Quod quidem in Christo non inuenit, sed quid ipse diligit, prodit.

Libri Vicesimiseptimi finis.